

SYLLOGE  
MONUMENTORUM,  
AD  
ILLUSTRANDAM  
HISTORIAM FENNICAM  
PERTINENTIUM.

CUJUS PARTEM VIII,

CONS. FAC. PHILOS. IN REG. ACAD. ABOENSI,

PRÆSIDE

Mag. HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,

Reg. Canc. Consil. Eloqv. Prof. R. & O. Eqv. Ord. R. de Stella  
Polari, R. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquitt. R.  
Societ. Sc. Upsal. &c. Socio,

Publicæ bonorum censuræ submittit

JOHANNES GUSTAVUS RANCKEN,

Stip. Reg. Tavastensis.

In Aud. Majori die XVI Apr. MDCCCIII.

Horis a. m. convetis.

---

ABOÆ, typis Frencckellianis,



## THESES RESPONDENTIS.

### *Thes. I.*

**A**d cultum pariendum Deo dignum, quam necessaria sit recta Summi Numinis notitia, animo informata, turpissimæ plurimarum gentium Superstitiones ostendunt.

### *Thes. II.*

Analogia totius Naturæ, in qua nihil penitus interire videmus, ad immortalitatem Animi sperandam haud parum addit momenti.

### *Thes. III.*

Quoniam ea est hominis, in mundum prodeuntis indoles, ut eorum exemplis, quorum in consortio puerilem agit ætatem, lubens sese conformet; recte statuitur, liberos non minus exemplis sociorum, quam parentum disciplina educari.

### *Thes. IV.*

Cum homo non facile, nisi ab urgente necessitate, ad facultates, eum animi, tum corporis, diligenter excolendas, acutur; haud ægre intelligitur, Ætatem sic dictam Auream, si unquam exstitisset, exigua sane commoda allaturam fuisse hominibus: quippe qui, omnium rerum ignari, vitam degissent Natura Rationali parum dignam.

### *Thes. V.*

Neque vitam humanam extra societatem esse posse felicem, neque societatem sine sermonis adjumento colere licere, facile concedat, quisquis consideraverit, quam vehementer auxiliis aliorum quotidie opus habeamus.

### *Thes. VI.*

Haud bene vel publicæ vel suæ salutis rationem perspiciunt Principes, qui Litterarum luci augendæ & diffundendæ minus favent.

### *Thes. VII.*

Cum nulla lingua tanta vocabulorum copia affluat, ut omnes notionis animi exprimere possit; nova verba fingendi libertatem Scripto-ribus omnino denegandam esse haud putamus, modo ea modice & prudenter utantur.

### *Thes. VIII.*

Statum Regnorum Europæ, tempore quo bella, gentium sic dictarum infidelium e Terra Sancta expellendarum causa gesta sunt, considerantibus, mirum haud videbitur, expeditiones has, ab omnium licet ordinum hominibus tanto ardore susceptas, infelicem adeo habuisse exitum.

### *Thes. IX.*

Quæ tamen bella, nostro orbi profusus inutilia non fuisse, sed ad restaurationem Artium & Litterarum nec non ad morum atque civitatum nostrarum rationem emendandam haud parum contulisse, nemo, nisi in Historia hospes, in dubium vocare poterit.



de quo plene mirari non sufficimus, eum profecto præfati privilegii littera sigillo Domini Regis Sveciæ, nec non vestri sigillo & tocius Capituli fuerit & veraciter sit munita. Quare Paternitati vestræ humiliter supplicamus, quatenus, propter ordinis reverenciam & propriam vestram honestatem, beneficium nobis in honorem Dei nec non genitricis ejus Mariæ, ad sublevamen uostræ paupertatis & indigenciæ collatum, non aligenetis, sed tanquam religiosi vestris filiis promocionem vestram nobis fideliter impendatis: cum nimirum dissonum rationi reputaretur, si tam famosorum Dominorum sigillata privilegia voluntarie & devote super munere elemosinario donata ac dotata, tam subito, ymo leviter cassarentur. Insuper vestræ laudandæ Reverenciæ supplicamus devocius & attente, quatenus prædictum vicarium seu Capellanum, quem de sæpe dicta ecclesia, prout percepimus, amovistis, ad gradum seu ad curam præfatæ nostræ ecclesiæ dignemini modo debito clementer revocare; ne tam generosi Domini, utpote Regis Sveciæ & totæ (totius) Coronæ memoria, honorifice circa religiosos in publicum vulgata, deficiat & penitus decreseat. Va-

P

lete

---

Abbas verba ejus explicuit, aut Monachos nimis, ac ultra literarum verum sensum jura sua extendisse, Episcopus questus fortasse fuerat, atque sic aliqua ex parte mentem earum corrupisse?



lete in Domino Iesu Christo. Super hoc nobis respon-  
sum petimus quantocius reformari. H. (humilis) Frater  
Nicolaus (e) Abbas in Padis. (Neque dies neque  
annus appositus comparet).

Indid. Fol. 88.

---

XXXVIII.

*Litteræ Confraternitatis Beroni Episcopo Aboënsi &  
Monasterio Padisensi concessæ (a).*

Reverendo in Christo Patri ac Domino, Domino  
*Beroni*, miseracione Divina Episcopo Aboënsi,  
*Johannes* humilis Abbas in Pades, Cisterciensis Or-  
dinis

---

(e) In Litt. Regis *Erici*, Magni filii, supra commemoratis,  
vocatur *Nicolaus Riisbic*.

(a) Ad placandos & conciliandos sibi animos Aboënsium,  
nullam negligentes rationem Monachi, etiam bonorum  
suorum operum atque meritorum communionem liberali-  
ter illis offerebant; ac videntur Episc. *Beronem*, qui &  
ipse Monachus fuerat, reperisse sibi faventioem, quam  
quosdam antecessores suos & successorem suum *Magnum*.  
— Similes litteras eodem die toti Capitulo Aboënsi (*Ve-  
nerabilibus viris, Præposito, Archidiacono, cæterisque A-  
boënsis ecclesie Canonicis*) donabant. Quia (ut verba ja-  
cent) in temporalibus deficimus, spiritualibus Reveren-  
cias vestras muneribus honoramus. Quapropter vobis &



dinis, salutem celestisque profectus contiguum incrementum. Propter devocionem quam ad Ordinem nostrum personam vestram habere cognovimus, Paternitati vestræ debito honore occurrere volentes, tenore presencium vobis conferimus plenariam fraternitatem & participacionem omnium bonorum operum, quæ non solum in nostro Monasterio, verum etiam in universo Ordine nostro Cisterciensi die noctuque per servos suos operari dignabitur demencia Salvatoris, auctoritate Capituli nostri generalis super hoc nobis concessa specialiter, & indulta, videlicet in Missis, Vigiliis, Jejuniis, Oracionibus, Psalteriis, Disciplinis, Elemosinis ceterisque virtutum exercitiis, in vita pariter & in morte: adicientes (adjicientes), quod cum obitus vester nostro fuerit Capitulo nunciatus, vestra apud nos memoria a singulis fratribus cum debita devocione solenniter peragetur. In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum in Pades anno Domini MCCCCVIII:º in profesto Corporis Christi. (D. 13 Junii 1408).

---

vestrum cuilibet, præsentibus & futuris tenore præsentium" conferimus" &c. (plane ut in exemplo quod Episcopo mitebatur), *Reg. Eccles. Ab. Fol. 79.*



*Testimonium Fratris Thorneri Andree de Jure  
Patronatus in Ecclesiam Borgo a R. Magno  
Padisensibus concessio (a).*

Universis præsentibus litteras visuris, lecturis vel audituris, *Laurencius Odhonis*, Præpositus Lincopensis, & *Johannes* Archidiaconus ibidem, Canonici Vexionenses, æternam in Domino salutem. Tenore præsentium publice recognoscimus & in veritate confitemur, nos quoddam instrumentum infra scripti tenoris, per manus *Johannis Skutta*, auctoritate Imperiali Notarii Publici, conscriptum & suo signeto solito signatum vidisse, perlegisse, audivisse & diligenter inspexisse, tenorem de verbo ad verbum, qui sequitur, continens: In nomine Domini Amen. Anno a nativitate Ejusdem MCDXVII:º Indiccione decima, die XXIX mensis Maji, hora sexta vel quasi, in Locutorio fratrum Monasterii Sanctarum Mariæ & Birgittæ in Vatzsteno, Ordinis sancti Augustini, sancti Salvatoris nuncupati, Lincopensis Dyocesis;

---

(a) Damus illud integrum, vidisse nec non additam auctoritatem Notarii Publici præferens, quale in Registro Ecclesiæ Aboënsis habetur; ut simul pateat, quanta diligentia in hujusmodi litterarum munienda fide majores versati olim sint;



cessis, in mei Notarii Publici testiumque infra-  
 scriptorum praesentia personaliter constitutus venerabilis ac  
 circumspectus vir *Magister Fredericus Trast*, Cano-  
 nicus Aboensis, Procurator Reverendi in Christo  
 Patris & Domini, Domini *Magni*, Dei & Apostoli-  
 cae Sedis gratia Episcopi Aboensis, & Procuratorio  
 nomine, ut asseruit, religiosum ac devotum virum  
*Thornerum Andreæ*, Professum dicti Monasterii Vatz-  
 stenensis, in verbo veritatis & sacerdotii tam serio-  
 sis quam humilibus instantiis requisivit, ac requisito  
 instantius supplicavit, ut remotis dolo & fraude,  
 favore, odio vel timore, meram, simplicem & nu-  
 dam quam sciret de & super infra-scripto negotio,  
 solo veritatis intuitu diceret veritatem, ipsius super  
 hoc conscientiam onerando: Qui (b) dictus frater  
 Thornerus sponte & libere, non coactus nec ulla  
 doli vel fraudis machinatione, ut dixit, circumven-  
 tus, respondit in haec verba, vel eis in effectu simi-  
 lia, ipsumque infra-scriptum negotium se dixit in tali-  
 um verborum veritate a suis senioribus accepisse. "Quan-  
 do, inquit, Rex Magnus revertebatur de Rucia, de-  
 dit Dominis Abbati & Conventui pro tempore e-  
 xistentibus Monasterii *Padis*, Ordinis Cisterciensis,  
 Revaliensis Dyocesis, & realiter assignavit Jus Pa-  
 tronatus Ecclesiae Parrochialis Borgha suarumque  
 Cappellarum, Aboensis Dyocesis, accedente ad hoc

P 3

spe-

---

(b) Alterum exemplum habet *Cuius*...



"speciali benivolencia & consensu (c) Reverendi Pa-  
 "tris Domini Hemmingi, tunc Episcopi Aboensis, feli-  
 "cis memoriae, quum (qui?) simili modo ad importunas  
 "instancias dicti Domini Regis, eisdem Abbati & Con-  
 "ventui, jura temporalia & spiritualia (d) praefatarum  
 "ecclesiae & Cappellarum contulit & univit, talibus ni-  
 "hilominus in hujusmodi negotio condicione & mo-  
 "deramine adhibitis & servatis, quod praelibatus Do-  
 "minus Rex in ecclesia Cathedrali Aboensi duas Cano-  
 "nias fundaret, quas & fundavit per Colonias Regias  
 "in Tessia (e), & alias colonias de quarum nomini-  
 "bus dictus frater Thornerus dixit se non recorda-  
 "ri, easque dictis Canonis applicavit, ad Divini cul-  
 "tus augmentum perpetuo duraturas. Tandem vero  
 "dictis coloniis per Officiales Regis Alberti, praefati  
 "Domini Magni immediati successoris, videlicet Do-  
 "minum Nicolaum Thureson Militem, & Sunonem Ha-  
 "quonsen tunc Capitaneum Castri Wiborgh, auctori-  
 "tate Regia revocatis, dictisque Canonis cassatis & in  
 "irritum retreclatis, praefatus Dominus Episcopus A-  
 "boensis praefatas collacionem & unionem, dictis Ab-  
 "bati & Conventui, sic per eum ut praemittitur factas,  
 "cassavit, irritavit & modo simili revocavit, & dimisso  
 "eis,

---

(c) Alt. ex, assensu.

(d) Alt. ex, Episcopalia.

(e) Tessjö, Prædium parocciæ Pyttis.



"eis duntaxat dicto jure Patronatus seu presentacio-  
 "nis (f) praelibato, idem Reverendus Pater Domi-  
 "nus Episcopus Aboensis, dictam ecclesiam Borgha  
 "cum Capella Sibba, venerabili viro Domino Olao  
 "Jacobi de Ulsby, tunc seniori & pociori Canonico  
 "Aboensi, Cappellam vero Perna Domino Andreæ  
 "dicto de Perna, auctoritate ordinaria contulit, eis  
 "curam & administracionem in spiritualibus & tem-  
 "poralibus assignando. Mortuo tandem dicto Domi-  
 "no Hemmingo Episcopo Aboensi, successor ejus  
 "immediatus (g) Magister Johannes Petri, natione  
 "Arosiensis in Svecia, postquam erat confirmatus  
 "Episcopus Aboensis, omnia jura dictarum ecclesiarum  
 "tam in temporalibus quam in spiritualibus revocavit,  
 "dictis Abbati & Conventui de Pades nullo penitus re-  
 "servato, conferens ipsam ecclesiam Borgha cum di-  
 "ctis suis Capellis cuidam Domino Johanni Amberni  
 "dicto Gram, qui easdem ecclesiam & capellas per  
 "duo-

(f) Quod igitur hoc jure haud contenti Monachi (qui re-  
 ditibus ad Curatum pertinentibus ipsi frui volebant, at-  
 que munus per aliquem fratrum suorum administrari fa-  
 ciebant) Episcopo nullum Curatum presentabant confir-  
 mandum & ecclesiae praeficiendum, credas Episcopum, ne  
 ecclesiae per longius tempus vacarent, ipsum eis Pastores  
 dedisse eos qui mox nominantur?

(g) Henricum bonus frater, aut oblivionis vitio, aut quia  
 mox obiit (antequam muneris administracionem suscipere  
 posset); silentio praeteriit.



"duodecim annos vel quasi continue rexit & posse-  
 "dit pacifice & quiete, sine omni solucione seu annua  
 "pensione dictis Abbati & Conventui, aut alteri eorum  
 "nomine, facienda (h). Mortuo autem dicto Magistro  
 "Johanne Petri, Episcopo Aboensi, superveniens Do-  
 "minus Johannes dictus Westfal, tunc Episcopus A-  
 "boensis, ad importunas instancias Boecii Joanson,  
 "tunc Dapiferi Sueciae (i), de mera gracia predicta  
 "jura dictarum ecclesie Borgha & Capellarum suarum  
 "prælibatis Abbati & Conventui de Pades restituit,  
 "donec ea ipse vel successor ejus duceret revocanda:  
 "transferens dictum Dominum Johannem Amberni  
 "de ipsa ecclesia Borgha ad ecclesiam curatam Hat-  
 "tula in Tavastia." Super quibus omnibus & singu-  
 "lis dictus Magister Fredericus, Procuratoris nomi-  
 "ne quo supra, fieri sibi peciit per me Notarium in-  
 "frascriptum unum vel plura Instrumentum publi-  
 "cum, vel publica instrumenta." Acta sunt hæc an-  
 "no, Indiccione, die, mense, hora & loco suprascriptis,  
 "Apostolica sede vacante, præsentibus ibidem vene-  
 "rabili & religioso viro Domino Stenone, Abbate  
 "Monasterii Sancti Michaelis in Munckaliif, Ordinis  
 San-

(h) Credas igitur priores, quamvis ab Episcopo constitutos, annuam tamen pensionem, ab hoc forte definitam, Monachis dedisse?

(i) Cur potentissimus hic vir, Monachis adeo se præstitit faventem, plane nescimus.



Sancti Benedicti - - - Berg - - (k) & honorabili viro Domino Petro Tholoneri, Canonico Scarenfi & Cancellario Scarenfi testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Et ego Johannes Schutte, Clericus Hildeshemensis, Publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia hujusmodi verborum requisitioni, supplicacioni, produccioni, omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sic ut præmittitur fierent & agerentur, una cum dictis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi; ideoque in hanc publicam formam propria mea manu scriptam redegì, quum signo nomineque meis solitis & consuetis signavi, rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum. Rasuram vero istarum trium dictionum, a principio instrumenti numerando, in XIII riga positarum, videlicet *Et realiter assignavit*, non vicio, sed errore, hic approbo.

In quorum visionis, perleccionis, audicionis & perspeccionis evidenciam firmiorem, sigilla nostra impendenti (?) præsentibus duximus apponenda. Datum Lyncopiæ Anno Domini MCDXVII:º tercia die mensis Junii.

Q

Habe-

---

(k) Verba quæ hic desiderantur, in neutro nostro exemplo habentur.



Habetur in *Registro Eccles. Ab.* Fol. 74 fq. &  
Fol. 83.

---

## XL.

*Epistola Conradi Abbatis Padisensis ad Magnum  
Episc. Aboënsis, pro jure Padisensium in  
Ecclesiam Borgo.*

**R**ecommendacionem humilem devota cum salute.  
Durum nuncium Paternitatis Vestrae recepimus,  
quod non sperabamus; unde repente facti stupidi &  
in admiracionem ducti vehementer, quod pia devo-  
cionis affectum illustris condam Principis æquivoci  
Vestri (a), Vestrorumque prædecessorum, quorum me-  
moriam in benedictione apud nos est, annullare ni-  
timini, & quod ipsi ob salutem animarum suarum  
provide & salubriter statuerunt, sine causæ cog-  
nitione ac rationis judicio decrevistis infirmare, de  
uberiori Paternitatis vestrae quidem gracia confisi  
quam experimur: Cum revera non conventi aut de  
ulla contumacia convicti, ecclesia nostra Borgha cum  
Capellis suis privati simus, & ut verius dicamus  
subtiliter spoliati. Dicitis enim, quod inniti velitis  
nobiscum juri, quia si inermis procedit ad bellum  
contra

---

(a) H, e, cognominem, Magnum.



contra forciolem se, sic Dominacioni Vestrae credimus resistendum; & quamvis jura non novimus, confisi tamen sumus, quod omnia spoliatis redintegranda sint, antequam procedatur in causa. Quare Paternit. Vestr. humiliter deprecamur, quatenus nos in corporalem & realem possessionem ecclesiae nostrae praefatae & Capellarum ejus mittere dignemini. Quod si quis dixerit, nos corporalem & realem possessionem non habuisse, contrarium patet, cum manifestum sit, praefatam Ecclesiam & Capellas, a tempore gratiae nobis factae, *per fratres nostros successores sive sibi succedentes fore rectas*, & novissime per quendam fratrem nostrum Nicolaum Bolthe nomine, rectam defunctum & in eadem tumultatum. Quis enim in conscientiam suam asserere ausus est, talem fuisse intencioem Regis aequivo- ci ac praedecefforum, qualem eam ex litteris nostris conamini interpretari? Aut si consensus Episcopi & Capituli non affuerit, quare sua sigilla litterae Regis appenderent? Redeat igitur cor Paternitatis vestrae ad conscientiam, & conscientia ad cor, & quod justum est agite nobiscum: *permittentes nos saltem butiri perceptione gaudere*, prout ordinatum fuit per Praedeceffores vestrum & nostrum, donec maturius & plenius coram Domino nostro Rege suisque Consiliariis de causa & de justitia nostra decernatur. Quod si diffinitum fuerit per eosdem nos fore injustos, pacati stabimus & contenti. Afferuit eciam Paternitas



tas Vestra, quod de cetero nobis nolitis esse censuales: quod quia inconueniens esse videtur, minime peroptamus. Adjecit eciam Paternitas vestra, grave vobis esse & molestum, quod alieni beneficia vestra debeant possidere, cum plures Clericos in dyocesi vestra habeatis pane indigentes; & si (etsi?) alieni a vobis iudicemur, per fidem tamen fratres sumus vestrique humiles oratores. Super omnia tamen quæ scribimus, benevolentia vestra & gratia nos & nostros humiliter commendamus. In Domino valeat Paternitas vestra veneranda, nos ad grata vestra quævis requirentes (?). Scriptum in Monasterio nostro Padis, ipso die Michaelis Archangeli, sub nostro sigillo. Responsum graciosum & litteratorium per præsentem nuncium petimus nobis reformari. Vester Capellanus humilis & devotus frater Conradus Abbas ibidem.

Indid. Fol. 87 sq.

---

XLI.

*Narratio & declaratio Tidemanni, Abbatis Padisensis, super eadem re.*

**O**mnibus præsens scriptum cernentibus Tidemannus Dei gratia Abbas in Padis, Ordinis Cisterciens-



nienſis, Revalienſis Dyocēſis, & Conventus ibidem, ſ. in D. ſ. Dudum revera Dominus Magnus, Sve-  
ciæ & Norvegiæ quondam Rex illuſtris & Dominus  
terræ Scaniæ, videns & magis in poſterum invale-  
ſcere pertimeſcens noſtri Conventus paupertatem,  
innata devictus clemencia, aliquali ſubvencione re-  
levandum miſericorditer aſpexit; *juſ Patronatus ac  
eciam juſ aliud ſiquidem ſibi in eccleſia Borgha Aboen-  
ſis Dyocēſis & capellis annexis competere diſcoſcitur,*  
in Dominum Abbatem tunc temporis Monasterio no-  
ſtro in Padis præſidentem & ſuos ſucceſſores dona-  
cione tranſtulit, prout ſuæ patentēs litteræ ſuper  
hoc confectæ ſuoque *majorē ſigillo ſigillatæ*, clare  
demonſtrant: ſperans ex hoc inopiæ Monasterii rele-  
vandæ aliqualiſiter provenire (ſubvenire?), *licet nobis  
modicum profuit ejus divinitus inſpiratus affectus.* Sed ve-  
nerabilis in Chriſto Pater Hemingus, Divina providencia  
eodem tempore Aboenſis Epicoſopus, igne caritatis  
accenſus, piſſimi Regis affectum rationali conde-  
ſcendencia deducere cupiens in effectum, ut nobis &  
Conventui noſtro ſaltem aliqualiſ inde profectus  
proveniret, *Eccleſiæ prædictæ Borgha & annexa-  
rum Capellarum jura Sacerdotalia ex mera gracia  
nobis conceſſit:* quam conceſſionem ad inſtanciam e-  
juſdem benigni Regis ad dies ſuos inconcuſſam ten-  
nuit, *ſub certo tamen cenſu limitatam:* quem [cenſum]  
venerabiles in Chriſto Patres, ſui ſucceſſores, motu  
caritatis Patrum (Prædeceſſorum?) ſuorum veſtigia



sequentes, temporibus suis generose nobis favebant censum, *tamen* non avariciæ vicio, sed caritiarum ingruencia *minorato* (minoratum?). Sed heu proh dolor! tempore venerabilis in Christo Patris & Domini, Domini Magni, Dei gracia pronunc Episcopi Aboensis, guerris ingruentibus violenciisque inimicorum insultantibus terramque devastantibus & caristiis subsequenter, idem Dominus Episcopus Aboensis ecclesiarum prædictarum censum, pia prædecessorum suorum largitate generosa nobis concessum, ad providendum de pane suis egenis clericis, ad manus suas revocare conatus est. Tandem tamen nostris supplicacionibus & continuis devictis instantiis, nostræ consideratis necessitatis indigencis ad pia antecessorum suorum vestigia se convertens, *aliquantam Ecclesiæ prædictæ census porcionem*, ut præmittitur, indigenciam nostræ reliquit & concessit: tali condicione, ut nos prædicti census porcionem, nobis ut præmittitur generose concessam, de sua mera gracia habere fateremur, ne proluxa concessio, per longiora continuata tempora jus proprietatis seu præscriptionis inducere videatur. Nos igitur Abbas & Conventus prædicti, *originales ejusdem Domini Magni Regis illustris litteras diligenti scrutinio perlegentes nullius possessionis seu proprietatis jus invenimus, quo decernente censum aliquem in prædictis ecclesiis nobis vindicaremus, nisi tantum jus præsentandi & si quid aliud Regiæ dispensacioni competere poterit in eisdem.*

Quare



Quare per præsentēs publice recognoscimus, quod quicquid in prædictis ecclesiis regii (?) hujus census hæcenus habueramus, de dicti venerabilis Patris, Domini Magni Episcopi prædicti, suorumque prædecessorum mera gracia nos fatemur habuisse; In cujus recognitionis evidenciam sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Per istam recognitionem nolumus litteris, privilegiis & concessionibus illustrissimi Principis Domini Magni, condam Regis Sveciæ, nobis super ecclesia & capellis prædictis factis in aliquo derogari, sed eas semper in omni vigore suo stabiliter perdurare (a). Datum anno Domini MCDXXIII in vigilia sancti Laurentii Martiris. (D. 9 Aug. 1423).

---

XLII.

*Idem Abbas jus Padifensium sæpe commemoratum, in Episcopum & Capitulum Aboënse, certo sibi reservato fructu, transfert.*

Universis præsentēs literas inspecturis seu auditoris, nos, Tidhemannus Abbas totusque Conventus Monaste-

---

(a) Monachorum calliditatem! Qui ita agnoscere velle Episcopi jus videbantur, ut tamen de suo jure nihil paterentur derogari. Cæterum eadem cavendi diligentia, præcedentia quoque verba reddidit obscuriora.



nafterii Padis, Ordinis Cisterciensis, Dyoceſis Revalienſis. Tenore præſencium conſtare volumus evidenter, quod propter viarum discrimina, ſumptuum gravamina, nec non propter diverſa impedimenta vel pericula, hinc inde contingencia, ſuper redditibus noſtris in Dyoceſi Aboenſi conſtitutis, videlicet Eccleſia Borgha cum Capellis & Piſcaria ſalmonum in Helſinga, utiliter diſponere non valemus, quo circa Reverendo in Chriſto Patri, Domino Magno, Dei gracia Epifcopo Aboenſi, ſuoque Venerabili Capitulo, prædictorum reddituum diſpoſicionem pleno jure committimus, ut in hiis juxta ſuarum voluntatum exigenciam ordinent & diſponant, nobiſque de fructibus proventuum, prout convenimus, provideant annuatim. In cujus evidenciam firmiorem ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum in Monafterio noſtro Padis anno Domini MCDXXIX, in profeſto beati Olavi Martiris glorioſi. (D. 29 Jul. 1429).

Indid. Fol 82.

---

XLIII.

*Idem teſtatur Epifcopum Aboënſem Jus Patronatus sæpe memoratum, numerata pecunia redemiſſe.*

**U**niverſis & ſingulis præſentes literas viſuris ſeu audituris Nos, *Tidemannus* Abbas totuſque Conventus